

possit; sed si aliquo tempore deficit, prompte restituatur: ita ut si aliquis Papa profiteatur aut doceat errorem, paulo post vel ab ipso vel a suo successore error corrigatur. Verum cuiusmodi est haec indefectibilitas? est ne proprie infallibilitas? qui infallibilitatis privilegium soli universitati vel Concilio vindicant, ut Bossuet, docere quoque debent indefectibilitatem huiusmodi Romanae Sedis in eo esse ut fidem indeficienter teneat, quam Ecclesia docet; non docendo proinde, sed discendo: infallibilitatem nempe eius esse passivam tantum non activam, ut ait Tournely loco citato. Verum quidam videntur indefectibilitatem activam intelligere; et qui, ut modo dicebamus, concedunt infallibilem Sedem, non Sedentem, alieni forte non erunt ab hac interpretatione (cf. Mourray De Ecclesia Disp. XX Sect. 3. §. 3). Recolendum est enim huiusmodi distinctiones ex causa polemica profectas esse, ac fuisse excogitatas ab his omnibus ut Romanorum argumentis occurrerent, et idcirco iuxta necessitatem fuisse temperatas.

Atqui Romanae Sedi non sola indefectibilitas, qualem a Gallicanis conceptam modo descripsimus, sed infallibilitas eaque a se asserenda est, et non soli seriei universae, sed singulis ex aequo Romanis Pontificibus. Porro hoc unum tantum probandum restat: primum enim iam abunde probatum est. Iam vero hypothesis haec gallicana nullo Scripturae aut Traditionis fundamento innititur; imo iisdem aperte adversatur. Sane ex Scriptura et Traditione docemur Primatum Petri perpetuum esse, iura proinde Petri et praerogativas perpetuas esse; perpetuum vero esse Primatum Petri per continuos successores suos, quemlibet autem Romanum Pontificem esse successorem Petri: atqui indoles propria dignitatis in qua succedit, quae decessor habebat, et ipse obtineat: ergo quilibet Romanus Pontifex est sicut Petrus; ergo quilibet infallibilis. Hinc Patres occasione data de quolibet Pontifice affirmant quod sit Petrus, quod in eo Petrus loquatur et vivat. In professione fidei Hormisdæ et Adriani II affirmatur quod in Sede Apostolica semper immaculata est servata religio, et sancta celebrata doctrina; idque quia in ea est soliditas Christianae religionis. Quare id connexum esse necessario cum dignitate eius Sedis affirmatur, ideoque perpetuum fore creditur. At si semper in ea Sede celebratur sancta doctrina, quomodo identidem error subrepat? Quod si gallicana hypothesis observata fuisset mentibus Patrum, inexplicabilia essent pene omnia quae Romanae Sedi attributa sunt. Quomodo enim praxis perpetua existit ad Romanam Sedem quaestiones fidei deferre, ut eius iudicio finirentur? quomodo sententia eius causas finitas esse creditum est? Patres omnes secuti

semper sunt Apostolicae Sedis decreta? et huiusmodi. In hypothesi gallicana haec non nisi sub conditione affirmata fuissent, et praxis conditionata fuisset, nempe si hic Pontifex veram teneat fidem; quod quidem effecisset ut ea praxis nunquam haberet locum. Et re quidem vere si singuli errare possunt, dubitari semper poterit at debet an hic aut ille cum definit, cum confirmat concilia, erret; et idcirco ad normam alterius iudicii exigenda erit sententia Pontificis: huiusmodi autem iudicium nequit esse ipsius Pontificis aut successoris, quia et ipse errare potest: sed erit iudicium Ecclesiae; h. e. non Petrus confirmat fratres, sed confirmatur a fratribus, non pascit sed pascitur, non fundamentum est Ecclesiae, sed fundatur in ea.

Hinc institutio Primatus fuisset in hypothesi gallicana prorsus inepta et indigna Deo. Ad nihil enim confert, nullique usui esse potest, si hic et ille potest desinere esse Petra, confirmator et pastor Ecclesiae. Et sane vel praerogativae Primatus nexae sunt cum dignitate successoris Petri, vel pendent a qualitate personae: si primum, eae debent ex aequo competere omnibus et singulis successoribus: si alterum, nihil est ineptius hac institutione ut potestas necessaria in Ecclesia fiat dependens a qualitatibus personalibus hominis potestate instructi.

Itaque indefectibilis est Romana Sedes quia Primatus Petri perpetuus esse debet: indefectibilis est in fide, quia est Petra fidei: indefectibilis in fide infallibilitate propria a se, quia fides eius est fides Petrae, Confirmatoris, Pastoris et Doctoris: huiusmodi autem indefectibilitas in fide seu infallibilitas a se est propria cuiusque Romani Pontificis, quia unusquisque est successor Petri, Petra Ecclesiae; et secus perverteretur prorsus institutio Christi vanaque redderetur.

#### THESIS XXXI.

*Inepti sunt qui post vaticanam definitionem infallibilitatis Romani Pontificis postulant aliam conciliarem definitionem qua doceamur modum quo decreta fidei a Romano Pontifice edi debent ut habeantur ab omnibus tanquam ex sese irrefragabilia. Falsumque est prorsus quod quidam supponunt, certitudinem fidelium de infallibili definitione Romani Pontificis pendere, veluti ex conditione, a notitia, quam iidem antecederent habeant mediorum, quibus Romanus Pontifex usus ad actum definitionis se praeparavit.*

1. Non omnis voluntas illius qui rex est, vim habet obligandi subditos, sed ea quae ab ipso procedit ut rex est, quae est nempe exercitium regiae auctoritatis. Ut ergo subditi alicui decreto parere

teneantur, debet eis constare primo quidem quod ille qui decretum edit, auctoritatem habeat iubendi, secundo autem quod decretum illud auctoritate regia feratur: ideoque praeter ipsam auctoritatem exercitam quae vim confert decreto, debet haberi quoque criterium aliquod, quo notum fiat subditis exercitium auctoritatis. Criterium autem huiusmodi non est opus ut sit aliquid distinctum ab ipso exercitio auctoritatis, quod cum per media sensibilia fiat, se ipsum societati manifestat, quemadmodum ceteri actus hominum manifesti esse possunt; sed ratione distinguitur, quatenus est ipsa obiectiva manifestatio exercitii auctoritatis. Quia vero multiplex est sensibile medium quo potest auctoritas in actu se manifestare, si ob bonum societatis opus sit ut aliquis specialis modus manifestationis determinetur, potestas determinandi eum modum est penes ipsam supremam auctoritatem; actus enim ipsius subesse nequit vi coactivae subditorum.

Iam vero ex definitione vaticana haec habemus 1) inesse Romano Pontifici auctoritatem edendi definitiones fidei infallibiles et ex sese irrefragabiles; 2) infallibilia esse et ex sese irrefragabilia eius decreta cum hac sua suprema apostolica auctoritate fretus, vi nempe ipsius agens, non ut persona privata, sed publica, omnium Christianorum Patris et Doctoris munere fungens doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit: quibus in verbis 3) continetur quoque criterium quo notum fiat omnibus exercitium illius supremae auctoritatis, cum nempe Romanus Pontifex tanquam persona publica, ut Pastor et Doctor omnium definit doctrinam tenendam ab universa Ecclesia. Id enim sensibilibus constare potest, et a Romano Pontifice sive explicite sive in ipso auctoritatis exercitio significari, se definitionem edere tanquam Pastorem et Doctorem omnium Christianorum, seque definire doctrinam quae ab universa Ecclesia tenenda sit. Habentur ergo omnia quae postulari possunt ut fidelibus constet decretum editum a Romano Pontifice esse infallibile et irrefragabile. Haec quidem necessaria sunt ut sciat fidelis sibi esse credendum; quod nempe doctrina ab omnibus credenda proponitur, et quod proponitur vi auctoritatis illius quae infallibilis est. Quid amplius potest desiderari? an ut determinetur specialis modus quo Romanus Pontifex definiat doctrinam tenendam ab universa Ecclesia, quo adhibito, eius definitio censenda sit infallibilis, quo non adhibito, liceat non talem eam censere? Verum et id necesse per se non est pro certo exercitio cuiusque auctoritatis statuere. Cum enim natura suppeditet omnibus hominibus plures vias et modos significandi cum certitudine ceteris suam voluntatem, exercitiumque suae facultatis, nulla est necessitas cur haec potestas a natura omnibus facta limi-

tetur in Principe: quod enim postulatur hoc est, ut nimirum ipse significet agere se ut Principem, velleque obligare; quocumque autem modo id faciat, dummodo id assequatur perinde est. 2) Etsi id identidem et per accidens opus foret determinare, quonam modo Romanus Pontifex docens censendus sit docere ex cathedra, et definire doctrinam tenendam ab universa Ecclesia, huius rei determinatio ipsi prorsus relinquenda est; inutilis enim foret quaecumque alia determinatio: si ipse enim nollet eo modo suam auctoritatem exercere, eo ipso actus illo modo positus non esset exercitium supremae auctoritatis, quae a nemine cogi potest.

II. Nec dicas determinationem huiusmodi certam nobis esse non posse, quia nondum scimus quonam modo quibus in adiunctis edita definitio Pontificis sit infallibilis. Nam ea determinatio 1) non est ulla definitio doctrinalis, sed simpliciter actus iurisdictionis: 2) ea per se potest immediate cognosci: 3) valor autem eius, quod nempe habenda sit ut modus legitimus definitionis pendet ab auctoritate Romani Pontificis, quam iam scimus ipsi inesse independentem prorsus ab ea determinatione.

Frustra ergo sunt qui aliam conciliarem definitionem hac in re praestolantur. Verum qui aliam a Concilio definitionem hac super re exposcunt, ideo eam exposcunt quia in hac sunt sententia quod 1) Romanus Pontifex nequeat definire nisi prius diligenti inquisitione facta veritatis, quod 2) oporteat nosse fideles quod ea inquisitio adhibita fuerit, ut teneantur credere. Necesse est ergo ut determinetur sufficiens modus inquisitionis, quo posito certissime constet definitionem Romani Pontificis esse infallibilem. Id autem nequit decidere Romanus Pontifex; haec enim decisio infallibilis sit oportet, cuius infallibilitas ut nobis constet, iam praesupponendum esset notum quod per eam definiretur.

Atqui 1) etsi opus foret definire modum inquisitionis vel praeparationis, edito super hac re decreto, quo definiretur talem quidem modum sufficientem esse, talem autem minime sufficere ut Romanus Pontifex actum exerceat infallibilis auctoritatis, huiusmodi tamen definitionem nunc post vaticanam definitionem (ut in hac tantum hypothesi loquamur) vel solus Romanus Pontifex edere posset: nam si ipse eam edat, hic evidentissimus syllogismus fieri potest. Certum de fide est quod cum Romanus Pontifex ut Pastor et Doctor omnium pro sua auctoritate definit doctrinam tenendam ab universa Ecclesia, errare nequit, eiusque decretum est ex se irrefragabile, liquet ex Conc. Vaticano: atqui nunc loquitur ut Pastor et Doctor omnium, definitque doctrinam tenendam ab universa Ecclesia, id porro quidem ex ipsis decreti verbis potest esse immediate evidens: ergo

decretum hoc est infallibile et ex se irrefragabile. In quo syllogismo recta est consequentia: ut autem consequens neges, debes negare veritatem Maioris, quae tamen est ipsa definitio vaticana: ergo posita definitione vaticana iam fidelibus potest infallibiliter constare per solius Pontificis decretum quinam sit sufficiens ille modus inquisitionis. Nec ulla est petitio principii: nam certitudo conclusionis non pendet nisi ab hoc quod Romanus Pontifex loquatur ut Doctor et Pastor omnium, edicatque doctrinam tenendam ab omnibus; qua in re fit abstractio a quovis singulari modo. Dummodo ergo id constet, certa debet esse conclusio.

Et sane si nequit solus Pontifex, nec poterit Concilium. Cur enim dicitur Concilium posse? quia credimus ipsum esse infallibile: at credimus pariter Romanum Pontificem infallibilem esse. Verum nondum constat quam inquisitionem adhibere debeat Romanus Pontifex: esto, sed nec pariter definitum unquam est qualis sit inquisitio adhibenda a Concilio: ergo vel neutrum sufficit, vel ipse solus Romanus Pontifex satis est.

III. Verum neganda est hypothesis illa cui adversarii innituntur, oportere nempe fideles nosse diligentem inquisitionem adhibitam esse a Romano Pontifice, ut obedientiam fidei praestent, ita ut ea notitia antecedens esse debeat ad actum obedientiae, eiusque ratio per modum conditionis; quod quidem negandum esse ex ultima animadversione satis liquet. Nam quamvis Concilia quoque inquisitionem facere debeant, nunquam postulatum est ut definiretur quinam esset inquisitionis sufficiens modus, eaque constaret fidelibus antequam crederent, ut credere tenerentur. Et sane 1) adversarii confundunt duo; nempe id quod necessarium est ut res sit, et id quod necessarium est ut res existens cognoscatur. Porro ad cognitionem rei existentis habendam necesse non est cognoscere id quod fuit necessarium ut ipsa esset. Cognoscibilitas enim rei est intrinseca ipsi ratione essentiae, independens ab iis quae extrinseca sunt, cuiusmodi sunt causa efficiens aut conditio existentiae. Sic ut cognoscam Paulum praesentem mihi, non est opus ut cognoscam eius patrem et matrem. Quare etsi inquisitio ea necessaria sit ut definitio fidei habeatur, haec tamen per se ipsam h. e. notas suas cognosci potest: si nimirum edatur a Romano Pontifice ut Doctore Ecclesiae, et definiatur doctrina fidei vel morum tenenda ab universa Ecclesia. Quocirca necesse non est cognoscere antecedenter an conditiones existerint existentiae eius, cum ipsa iam existens cognoscatur; sed consequenter conditiones eas exstitisse intelligimus, sicut videntes hominem cognoscimus exstitisse vel existere qui eum genuerint.

2) Imo necesse est ut cum fidelibus constat magisterium infalli-

bile esse locutum, ipsi statim obedientiam fidei praestent quin eis ius ullum competat instituendi iudicii circa valorem definitionis. Id ex oeconomia institutionis magisterii in Ecclesia a Christo factae manifestum est; ea est enim instituta habitudo inter magistros et discipulos, ut his solum officium obediendi incumbat, non ulla auctoritas in magistros, eisque sit sufficiens et adaequatum motivum credendi aliquid esse a Deo revelatum, quia Ecclesia, h. e. infallibile magisterium id docet. Atqui huiusmodi ordo perverteretur, et auctoritas iudicii discipulis in magistros conferretur, si docente magistro per se infallibili puta Concilio oecumenico, vel solo Romano Pontifice, adhuc tamen dubitare liceret an eorum doctrina vera esset donec fideles cognoverint recte se magistros in suo ministerio gessisse: id enim foret ad tribunal fidelium vocare magistros, actumque supremae auctoritatis subiicere iudicio eorum qui subditi sunt et quibus solum officium obediendi competit. Ergo ut fidelis sciat esse credendum non est opus ut antecedenter sciat diligentem inquisitionem adhibitam a magisterio fuisse, sed de hoc constare ei debet ex eo quod magisterium infallibile definit doctrinam credendam.

3) Quare assistentia Spiritus S. prohibens errorem concipienda non est promissa hypothetice magisterio actu docenti, sed *absolute*, ita ut semper ea habeatur quotiescumque magisterium illud, cui promissa est, docet; et sic ad providentiam Dei, qui eam assistentiam promisit, spectet efficere ut actuali magisterio debita inquisitio praecedat, vel si non praecessit, ut aut nihil magister supremus definiat, aut, si definit, illud tamen quod verum est definiat, licet humana diligentia in inquirendo vel parva vel nulla pro dignitate rei adhibita fuerit. Sane absolutam assistentiae huius promissionem exigit necessaria subordinatio a Christo instituta inter magistros et discipulos, inter illorum magisterium horumque obedientiam. Si enim fide divina credendum est quidquid a magisterio supremo ut credendum proponitur, huiusque magisterii supremi fides debet esse fides totius Ecclesiae, necesse est ut quotiescumque magister supremus loquitur sive sit solus Romanus Pontifex sive simul cum eo Synodus oecumenica, sit ab errore immunis. Et re quidem vera nonne promissio divina est quod Ecclesia nunquam deficiet in fide? deficeret vero si quacumque ex causa magisterium supremum, quod sequitur universa Ecclesia, erraret aliquando. Haec autem promissio si non sit absoluta, certiores fieri non possumus quod nunquam Ecclesia defecerit: quis enim iudicabit an conditiones requisitae pro obtinenda ea assistentia exstiterint? an Ecclesia ipsa? sed quaestio redibit de hoc iudicio: nullum aliud vero medium Christus nobis suppeditavit: omnium enim quaestionum finis est Ecclesiae magi-

sterium. Itaque opus est ut assistentia divina prohibens errorem fuerit Ecclesiae h. e. eius magisterio supremo et universali docendi promissa absolute; porro magisterium hoc est ipsum magisterium Romani Pontificis: ergo.

Non igitur opus est nosse quibus mediis sit usus et an sit usus Romanus Pontifex pro decreto fidei condendo, antequam credamus; ratio enim sufficiens et adaequata cur credamus haec est, quia Pontifex loquitur, et Pontificem loquentem assistit Spiritus S. ne erret.

Nihilominus si constet decretum aliquod fidei vel subscriptionem formulae fidei vi sive physica sive morali extortam esse; eo ipso iam constat definitionem non esse ex cathedra. Nam definitio ex cathedra est actus supremae potestatis, ideoque independens, qui eo motivo ponitur ut homines doceantur, et ad credendum obligentur: talis porro non est actus ex coactione positus, vel ad redimendam iniustam vexationem; quia non est actus potestatis, sed physicae subiectionis, et quo nec praesumitur superior velle obligare subditos, eosque docere.

Dices: quomodo igitur inter ea quae Romani Pontifices praecedentes docuerunt, licebit discernere definitiones fidei ab iis quae tales non sunt? neque enim omnia quae iidem asseruerunt, habentur ut definitiones fidei. Respondeo normam eam esse quam suppeditat Synodus Vaticana, cum nempe Romanus Pontifex quilibet Pastoris et Doctoris Ecclesiae munere fungens doctrinam definivit quae tenenda esset ab universa Ecclesia. Quod si hic modus propter monumentorum defectum lateat, considera sequentem effectum: si enim ea doctrina viguit deinceps in Ecclesia, nec aliam repereris definitionem, affirmare poteris illam fuisse definitionem fidei. Si e contrario alia quoque doctrina opposita perseveravit, ipsa sciente et permittente multo magis si probante Romana Sede, affirmare tibi licebit illam non fuisse definitionem fidei. Haec, statuta certitudine dogmatis de infallibilitate Romani Pontificis, satis clara sunt. Quod si nihil eiusmodi reperias, consequens erit ignorare te an aliquis Pontifex aliquando definiverit ex cathedra, nec ne. Ex qua quidem ignorantia nihil oritur incommodi nisi forte pro historicis: non enim minuitur numerus rerum definitarum et explicite credendarum, sed solum notitia historica eaque certa actuum definitientium. Sane vel etiam tum cum edita fuit ea definitio, fuit dubium Ecclesiae an esset nec ne definitio, et eo ipso ob defectum debitae manifestationis illa effectum suum non est assecuta, neque auxit numerum rerum definitarum: si autem tunc fuit omnibus certa definitio, creditum est tunc ab universa Ecclesia quod ea proponebatur, et quod tunc cre-

ditum est non potuit non credi postea: unde et modo ea omnia tanquam infallibili auctoritate proposita credimus quae prius credebantur; licet forte historice ignoremus quis prior definiverit.

#### THESIS XXXII.

*Ut sententia Romani Pontificis habeatur tanquam definitio ex cathedra, ideoque infallibilis, censemus non opus esse ut verba Pontificis ad universam Ecclesiam immediate dirigantur.*

I. Quaestio haec inter theologos agitari potest, nostramque sententiam ut probabilior defendimus.

Sane ex definitione Vaticana haec elementa certe sufficiunt ut definitio Pontificis sit et habeatur infallibilis, 1) quod auctoritate sua Apostolica utatur fungens munere Pastoris et Doctoris omnium Christianorum: 2) quod definiat doctrinam de fide vel moribus: 3) quod definiat doctrinam tenendam ab universa Ecclesia. Atqui haec omnia Pontifex praestare potest etsi unum Episcopum immediate alloquatur, quemadmodum fecit Leo epistola sua dogmatica ad Flavianum. Etenim, ut praecidantur difficultates, advertendum est a) quod aliud est sermonem dirigere ad universam Ecclesiam, aliud est sancire doctrinam tenendam ab universa Ecclesia: in priore enim id, quod ad universam Ecclesiam refertur, est sermo, sive subiectum loquens; in posteriore autem est obiectum sive doctrina quam loquens proponit: porro non prius sed posterius a definitione vaticana postulat. Advertendum est b) aliud esse quod quis fungatur munere doctoris omnium Christianorum, et aliud quod quis simul doceat omnes christianos. Sic magister fungitur munere doctoris suae scholae, cum vel unum discipulum corripit et docet: sic rex fungitur munere rectoris totius societatis cum vel unum civem facinorosum capite damnat. Scilicet auctoritatis, quae se extendit ad omnes, exercitium potest esse multiplex, et cum eidem auctoritati subsint omnes et singuli, tum erga omnes simul, tum erga singulos immediate ipsa exerceri potest. Unde cum erga unum Princeps auctoritatem suam exercet, exercet eam auctoritatem qua praeest omnibus, nempe qua Princeps est, totiusque regni caput. Itaque etsi Romanus Pontifex ad unam Ecclesiam literas suas dirigat, fungi potest munere doctoris omnium, suaque apostolica uti auctoritate, ac definire doctrinam fidei aut morum, quae tenenda sit ab universa Ecclesia; atqui cum ita se gerit, eius definitio est infallibilis; ergo ut eius definitio et infallibilis sit et habeatur, necesse non est ut ad universam Ecclesiam immediate verba Pontificis dirigantur.